

I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO THEOLOGICA
Pro Undecimo Articulo Libri Concordiæ
D E

ÆTERNA FILIO:
RUM DEI PRÆDESTI-
NATIONE;

QUAM

Deo Opt. Max. Benedicente,

AD MANDATUM

SERENISSIMI, POTENTISSIMIq; REGIS, DOMINI
NOSTRI CLEMENTISSIMI,

Pro LICENTIA

Summos in Theologiâ honores adeundi, proponit

GEORGIUS C. ALANUS, In A-
cademiâ Aboënsi S. S. Theol. Professor
Ordinarius;

R E S P O N D E N T E

Dn. PETRO LAUR BECCHIO Ostro-
Gotho, Philosoph. Candidato & Theologiæ
Studio:

Ad diem 6. Junij, Anni 1660. horis

Ante- $\text{E}\mathfrak{S}$ Pomeridianis,

In Auditorio superiori $\text{E}\mathfrak{S}$ maximo.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

S. R. M.
REGNIQUE SUECIAE
SENATORI,
ARCHIDAPIERO,
SUPREMI JUDICII
HOLMENSIS
PRAESIDI,
Wesmanniae & Dalekarli,
JUDICI PROVINCIALI,
NEC NON
Academiae Aboensis~
CANCELLARIO,
EXCELSO ATQUE ILLUSTRISSIMO
DOMINO ETHEROI,

DN. PETRO Brahe/
Comiti de Wüssingsborg/ Libero
Baroni de Cajana/ Domino de
Rydöhoholm/ Lindholm/ Bra-
helinna & Boghesund &c.
Domino & Patrono Magno,
hanc disputationem Inauguralem
humillimè
dicat consecratq;
GEORGIUS ALANUS.

D. O. M. A.

Disp. pro XI. Articulo Libri Concordiæ,

D.

ÆTERNA FILIORUM DEI
PRÆDESTINATIONE,
T H E S I S I.

 Uò periculosior omnis est error, vel minimus etiam, qui in æternum illud divinæ prædestinationis decretum impingit; hinc quidem ad desperationem, illinc ad epicureismum: Eò sublimior & excellentior est hujus articuli, dextrè & orthodoxè explicati, utilitas. Inde enim lux veritatis clarissima infertur articulo justificationis; quod videlicet gratis, sola Dei misericordia, in Christo nobis paratâ, sine omnibus operibus & meritis nostris, justificemur atq; salvemur. Inde vanitas & falsitas omnium illorum errorum liquidissimè patet, quibus vel multum, vel parùm, vel modiculum viribus arbitrij nostri adscribitur. Inde vera ac viva consolatio oritur in animis eorum, qui perswasum habent, salutem suam in æterno DEI decreto, tanquam in arce munitissimâ, atq; adeo in ipsâ omnipotenti manu salvatoris nostri esse fixam locatâmq; ex quâ nemo eam rapere queat.

II. Quanquam verò multa hoc ipso in articulo occurrant, quorum ignorantiam tutius est profiteri, quam sci-

entiam simulare, uti Augustinus alicubi loquitur: Ea tamen, quæ Deus ipse in verbo nobis revelavit mystèria, penitus vel ignorare, vel levi tractare brachio, detestandæ foret, tum impietatis, tum ingratitudinis. Scitè enim Augustinus Lib. de bono perseverantie c. 15. Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendendi non potest, quod occultum est.

III. Hanc autem doctrinam, de prædestinatione filiorum Dei ad salutem, non ex arcano aliquo & imperscrutabili Dei consilio, non ex rationis nostræ iudicio, non ex lege: sed ex solo Evangelio petendam & descendam esse, rectè monet Liber Concordiæ. Lex enim peccata arguit, non remittit; accusat, non condonat, Joh. 5. 45. Ex lege maledictio venit, non salus, Deut. 27, 26. ad Gal. 3, 10. Solum itaq; Evangelium docet, quod Deus omnium in Christo velit misereri, quod neminem velit perire, quod velit ut omnes poenitentiam agant, credant in Christum, & mediante hâc fide æternum salventur.

IV. Cæterum censemus omnia, quæ ad hanc materiam spectant, quatuor præcipue capitibus includi posse, de quibus in posterum ordine agemus. Caput I. Erit de misericordi D^EI voluntate, que electionis ac salutis nostræ negotium, non tam inchoat, quam absolvit. II.^m De ipsâ prædestinatione, quomodo ea secundum hanc ipsam Dei voluntatem sit definienda. III.^m De prædestinatione & prædestinatis questiones nonnullas expendet. IV.^m Erit de Reprobatione, quæ decretum est electioni contrarium.

V. DE PRIMO Ne autem in portu naufragium faciamus, disertè profitemur, voluntatis attributum, secundum sensum verbi divini impropriè & figuratè narr^o ἐργαπονάθειαν de Deo prædicari; & notare hic es- sentia-

sentialem Dei virtutem sive potentiam, quâ Deus *tum in*
genere singulas atq; universas hominum actiones, stu-
dia consilia, vel vult & sapientissimè efficit, regit, gu-
bernat; vel justissimè detestatur, punit, & ad finem
gloriæ suæ servientem dirigit: *tum verò & in specie*
electorum salutem vult, curat, ordinat, perficit, absolu-
vit. De priore illo generali objecto iam non labo-
ramus: sed de speciali tantum hoc, quod electionis &
salutis nostræ negotium directè concernit.

VI. Quamquam verò voluntas hæc Dei de salvandis
hominibus, haud minus una est numero, atq; una est
misericordia Dei, quâ erga salutem hominum intimo
affectu commovetur; duplex tamen ejus in Scripturis
monstratur respectus. UNUS simplex quasi, quate-
nus nimirum voluntas illa Dei misericors in se consi-
deratur, prout ea ex intentione Dei æqualiter se habet
erga omnes omnino homines: Juxta illud: *Conclusit*
Deus omnes sub peccatum, ut omnium miseretur, Rom. II, 32.

VII. Alter RELATUS, quatenus videlicet vo-
luntas hæc Dei consideratur, non modò ratione *Thεo*s,
secundum quam Deus ab æterno homines eli-
gere & salvare constituit: sed & respectu ipsorum ho-
minum, quatenus vel actu *ration* illam sequuntur, vel
actu negligunt & contemnunt.

VIII. Nominarunt Veteres hanc unam numero
Voluntatem jam Absconditam sive occultam, iam ve-
rò Revelatam. *Absconditam*, quatenus ea ab æterno
ante iacta mundi fundamenta in arcano Dei sinu latuit
quasi occultata: *Revelatam* verò, quatenus per Evangeli-
um ea in tempore nobis est patefacta. Quò respici-
ens Apostolus, Evangelium definivit, revelationem
illius mysterij, quod ab æternis temporibus fuerit ta-

citum, Rom. 16, 25, Coloss. 1, 26. Eph. 1, 9. & propositum illud Dei, vel gratiam Dei datam nobis in Christo ante tempora secularia, jam scribit esse revelatam per ḥ̄m̄ Q̄d̄
verā, apparitionem servatoris nostri Iesu Christi, 2. Tim.
1. 9, 10.

IX. Hic mox in limine notanda venit impietas Calvinianorum, qui abusi istis veterum locutionibus, geminam in Deo finixerunt voluntatem, unam occultam, alteram revelatam. Ubi sanè, si per occultam voluntatem intellexissent, miranda illa Dei consilia iudiciaq;, quorum tum in gubernatione hujus universi, tum in regimine Ecclesiaz, tum in communi vitâ plurima indies deprehenduntur vestigia; & quorum rō dīōzī neq; angelica, neq; humana ratio assequi valet, quæq; adoranda magis, quam scrutanda sunt, secundum illud Apostoli: o profunditatem divitiarum & sapientiae, & scientiae Dei! quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Rom. 11, 33. tum certè hoc nomine nemo dicam ipsis scripsisset.

X. Cæterū, cum sub hâc distinctione illud voluerint occultatum; Deum in verbo Evangelij, non omnia, quæ de salute nostra velit, revelasse: sed plurima in arcano sibi retinuisse; ita quidem, ut ex verbo Dei res velato, de salute electorum, déq; damnatione reproborum, plenè statui nec possit, nec debeat: hic certè distinctioni isti modis omnibus resistendum erat. Neq; enim illa est in Deo abscondita voluntas de electione & salute nostrâ, quæ vel in Evangelio non sit jam pridem plenisimè revelata, vel quæ à patefactâ illâ Dei voluntate illâ ex parte sit diversa.

XI. Quin potius Deus, quicquid unquam ab omni
æter-

æternitate de electione & salute hominum, ejusdémque causis, effectis, fine cogitavit, voluit, decrevit: illud o-
mne per Evangelium dilucidissimè revelavit, ut ne vel
minimum ejus in arcano retinuerit.

XII. Fidem assertioni huic facit Apostolus, in con-
cione illâ valedictoriâ ad presbyteros Ephesios habi-
tâ, his verbis: *Contestor hodiernâ die, quod nihil subicie-
rim, sed annunciarerim vobis omne consilium Dei, quod ni-
mirum spectat salutem hominum, & quod scire nobis
fructuosum est & necessarium, Act. 20, 27. Et 1. Cor.
2, 7. scribit, se loqui sapientiam Dei. Quamnam? Respon-
det Apostolus: εὐ μυστρίῳ τὴν ἀποκενηγούμενην, in my-
sterio, occultatam ἡν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν ἀιώνων,
quam p̄f̄n̄ierat Deus ante secula. Jam si annunciatum
est omne consilium Dei, si sapientia illa ante secula in
Deo abscondita, jam est patefacta per sermonem Apo-
stoli: certè profligatae fuerit impietatis, fingere adhuc in
Deo absconditam aliquam de electione & salute homi-
num voluntatem.*

XIII. Et quæ hæc est prodigiosa mentis vertigo, pu-
gnare pro absconditâ aliquâ de salute hominum volunta-
te; & interim illam ipsam voluntatem ita exacte callere,
ut secundum omnes ejus partes, pulchrè eam definire &
explicare queas? Quemadmodum certè in colloquio
Mompelgartenſi ita bellè eam explicare novit Beza, ut
nihil ex ipſius quidem sententiâ, manserit amplius ab-
ſconditum. Sic nimirum mendaciū nūspīam cohāret.

XIV. Sed ut ad propositum redeamus. Orthodoxi
patres, & cum primis Damascenus, duos illos, de quibus
diximus, unius in Deo voluntatis respectus, distinxerunt
in voluntatem Dei προγνούμενην & ἐπομένην, Anteceden-
tem & Consequentem. Et dignus planè observatione est
locus

locus Damasceni, lib. 2, de orthod. fide qui sic habet: oportet
scire, quod Deus antecedenter vult omnes salvare et regnum su-
um consequi. Neque enim ad puniendum nos finxit, sed ut efficiamur
bonitatis ipsius participes, ut bonus: peccantes autem vult puniri,
tanquam iustus. Dicitur igitur prima antecedens voluntas, et
benepacitum ex ipso existens. Altera vero consequens volun-
tas et παραχώρησις, concessio ex nostri causa. Et hac rur-
sum gemina. Una δικονομία καὶ παρεπιτηνή, Dispensatoria
sive eruditiva ad salutem; Altera vero απογνωσία constitue-
toria ad finalem pñnam. Hæc ille.

XV. Hinc evidenter colligitur, 1. Divisionem istam non in nostro demum cerebro, vel heri, aut nudi-
ustertius natam esse; sed piæ antiquitati fuisse cognitam
jam inde ab annis nongentis & viginti. 2. Consequentis
voluntatis non unum, sed duo esse decreta: unum ad sa-
ludem, alterum ad damnationem; utrumq; tamen ordi-
natum, ut mox demonstrabitur.

XVI. Cæterum ut secundum scripturas, de utrâque
voluntate distinctè agamus, sic statuimus: Voluntatem
Dei antecedentem, esse misericordem illam φιλαρθριαν,
qua Deus tristissimum generis humani lapsum prævidens, nullo
nostro motu merito, sed ex sola gratia, jam inde ab omni ætero
nitate, serio voluit et decrevit omnium omnino hominum mi-
sereri: Omnes equaliter diligere; omnes (nec uno quidem
excepto individuo) per filium redimere: omnibus filij meri-
tum in verbo Evangelij fide apprehendendum offerre: in omni-
bus per auditum verbi fidem operari: omnes deniq; per fidem
in filium salvare. Et hæc quidem omnia secundum hanc
Antecedentem voluntatem ardentissimo, minimèq; hy-
popcritico desiderio semper voluit, hodièq; vult Deus, e-
tiam de ijs, qui tamen actu verbum non audiunt, actu
non credunt, actu non salvantur.

XVII.

XVII. Confirmat hæc evidentissimè Scriptura ipsa Ezech. 33, 11. *Ne vivam ego, dictum Domini Iehovæ, si delector morte impij; sed delector, quum revertitur improbus à via sua, ut vivat: revertimini revertimini à vijs vestris pessimis; cur enim moreveremini domus Israëlis?* Similia extant cap. 18. 23. 32. Non delector morte morientis, dictum Domini Iehovæ. Revertimini itaq; vos & vivite. Sap. 11. 24, 25. *Tu misericordia omnium: Diligis enim omnia qua sunt, & nihil abominaris eorum, qua fecisti.* Rom. 11. 32. Conclusit Deus omnes sub infidelitate, ut omnium misereretur. 1. Tim. 2. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. 2. Pet. 3. 9. Deus non vult ullos perire; sed omnes ad pœnitentiam converti. Notatu dignissima sunt hæc Petri verba: Deus vult ne ullus pereat, sed ut omnes ad pœnitentiam revertantur. Nam ex ijs luculententer appetet, universalem particulam non esse restringendam, siquidem ne unus quidem excipitur.

XVIII. Dicitur autem hæc misericors Dei voluntas ideo Antecedens 1. Quia omnem causam, & quicquid ullius causæ respectum, hoc in negotio, obtainere poterat, Deus hanc voluntate suâ omnibus modis antevertit: ita ut nihil excogitari possit, quod Deum admirandum nostri impellere potuerit. 2. Quia hæc ipsa misericors voluntas est prima & summa causa totius illius *rāsēws*, sive ordinis, per quem Deus electionem & salutem nostram perficere decrevit.

XIX. Cæterum, non nudis tantum verbis testatus est Deus, se omnium hominum velle salutem; sed & facto ipso, eq; potissimum triplici, de voluntate hanc suâ luculentissimum perhibuit testimonium. Primum quidem *in opere creationis*. Quomodo enim, & cur obsecro hominem initio ad imaginem & similitudinem

suam creasset, si vel unum aliquod individuum, simplici
& absolutâ quadam voluntate, æterno exitio voluissest
destinatum. Et si Deus hoc fine condidit homines,
ut omnes salvarentur, utiq; etiam vult omnes salvari.
Cum enim Adam stirpem universi generis humani ges-
serit, utiq; non aliam sortem Adamo, aliam liberis &
posterioris ejusdem; sed utrisq; unam eandemq;, nempe
æternam salutem, serio voluit expositam, nisi Deum
fingere volumus προεωπελήστην: Quod absit, ut co-
gitemus saltem.

XX. Hujus voluntatis in Deo signum evidentissi-
mum erat, imago illa Dei, ad quam Adamus erat con-
ditus: id quod ex opposito lapsu patet dilucidius, utpo-
te in quo, per quem, non sibi soli, sed toti posterita-
ti mortem attraxit & damnationem æternam, Rom. 5,
12. Quare etiam omnes in Adamo habuerunt salutem,
quam transgressione perdiderunt.

XXI. Horrenda proinde vox est Calvini, lib. 3. In-
stit. c. 21. Sect. 5. sic scribentis: Non pari conditione
creantur omnes; sed alijs vita æterna, alijs damnatio
æterna præordinatur. Itaq;, prout in alterutrum finem
quisq; conditus est: ita vel ad vitam, vel ad mortem
prædestinatus est. Et Bezae, in glossis marginalibus c. 9.
Rom. iterum licet dicere, quosdam homines à Deo op-
ifice conditos esse ad interitum.

XXII. Bellè scilicet istis Doctoribus convenit cum
Osee, vel Deo potius ipso, clamante per Oseam: *perditio
tua ex te Israel: salus ex me*, cap. 13, 9. Et cum illo E-
piphonemate Mosis: *Vidit Deus omnia, que fecerat, &
ecce erant valde bona*, Gen. 1, 31. Et cum authore libri
Sap. qui affirmat, *Invidiâ Diaboli mortem introisse in or-
bem terrarum*, Sap. 2, 24. Et cum axiomate Pauli:

Deus

Deus non constituit nos ad iram, sed ad salutis acquisitionem;
I. Thes. 5. 9.

XXIII. Non urgeo jam illud : Quod quicunq; vult
rei alicujus finem (absolutè) ille vult etiam media ad
illum finem perducentia. Si itaq; Deus, creationis fi-
nem in multis hominibus voluit esse æternum exitium:
sequetur utiq;, ipsum etiam voluisse media ad finem
illum perducentia; nempe peccata, sive incredulitatem;
tanquam fontem & radicem omnium peccatorum.

XXIV. Alter modus, quo Deus misericordem
hanc suam voluntatem factis testatam fecit, respicit Mis-
sionem filij, ejusdemq; meritum. Voluit enim Deus pater,
filium satisfacere pro peccatis omnium hominum, eti-
am eorum, qui pereunt: voluit, inquam, & serio voluit, i-
psum esse Mediatorem & Redemptorem totius mundi.
Testatur hoc aureolum illud servatoris : *Sic Deus dile-
xit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis,
qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam,*
Job. 3. 16. Testatur hoc ipsum universa Scriptura. *Tit.
2. II. illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus.* *Eph.
1. 9, 10.* Deus patefecit nobis mysterium voluntatis sue, se-
cundum gratuitam benevolentiam suam, quam proposuerat in
seipso, in dispensatione plenitudinis temporis, restaurare O-
M N I A in Christo, sive qua in caelis, sive qua in terrâ
sunt, in ipso.

XXV. Hinc filius peccata totius mundi tulisse, pro pec-
catis omnium hominum satisfecisse, in Scripturis disertè per-
hibetur. *Esa. 53. 6.* Dominus posuit super eum iniquitates
omnium nostrum. *Rom. 5. v. 18.* Sicut per unius hominis
delictum reatus venit in omnes ad condemnationem : Sic &
per unius justitiam gratia redundavit in OMNES homines
ad justificationem vite. *2. Cor. 5. 15.* *Christus pro omnibus*

*mortuus est. v. 19. Deus erat in Christo, MUNDUM recon-
cilians sibi ipse. 1. Tim. 4. v. 10. Christus est Salvator omni-
um. 1. Joh. 2. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non
pro nostris autem tantum, sed & pro peccatis totius mundi.*

XXVI. Et ne forte quis sensu Calvinistico, sub no-
ta universali, electos tantum omnes comprehendi au-
tumet; Scriptura ipsam quoq; impiorum, reproborum,
pereuntium, atq; damnatorum colluviem à Christo re-
demptam esse, disertis verbis attestatur: ut, quando
Apostolus Romanenses suos graviter admonet, *ne per-
ditionis causa fiant ei, pro quo Christus mortuus est*, Rom. 14.
15. item **Corinthios**, *ne per abusum libertatis Christiana per-
ditioni tradant eum, pro quo Christus mortuus est*, 1. Cor. 8.
v. 11. Sic Epistola ad **Hebræos**, eos, qui sanguinem Chri-
sti pedibus conculcant & pereunt, eodem tamen sanguine san-
ctificatos fuisse affirmat c. 10, v. 29. Et Petrus, *Christum il-
los quoq; mercatum esse testatur, qui propriâ culpâ pereunt*,
2. Pet, 2. v. 1.

XXVII. Doctrinæ huic consolationis plenissimæ,
se opponit gens Calviniana, contendens, Deum nun-
quam voluisse, nunquam decreuisse, totum mundum
per Christum redimere. Sic censuit Beza in Resp. ad
acta Colloquij Mompelg. Sive consilium Dei, sive pas-
sionis effectum, sive utrumq; spectaveris; pro impijs
nullo modo est mortuus. Tostianus Calvinista Heidel-
bergensis scribere non cohorruit: Gravem esse erro-
rem, si Christus pro omnibus hominibus mortem di-
catur oppetiisse.

XXVIII. Sed horrendas istas blasphemias Deo ju-
stissimo Judici vindicandas relinquimus: Cur enim as-
lio responso dignos judicemus, qui tam illustribus, tamq;
per-

perspicuis Scripturarum oraculis, pro nostrâ affirmativa
pugnantibus, fidem omnem adeo insolenter denegare
non verentur.

XXIX. *Tertius & postremus modus*, quo Deus
antecedentem hanc, sive misericordem suam volunta-
tem maximè seriò testatam fecit; respicit *opus sanctifi-
cationis*, vel, ut vulgo loqui solemus, *opus vocationis uni-
versalis*. Annon enim gratiæ & misericordiaæ Dei est,
quod ab æterno voluit & decrevit, ut eoncio Evangelij
esset potentia ad salutem omni credenti? Rom. 1, 16. Ans
non gratiæ divinæ est, quod omnes gentes per foedus
initiationis, sacrum Baptisma, Christo inseri, à pecca-
tis ablui, & ad vitam æternam regenerari seriò præce-
pit? Matt. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15, 16. Annon gratiæ
divinæ est, quod hæc ipsa media salutis, verbum ni-
mirum & sacramenta, omnibus ex æquo obtulit? Rom.
10, 18. Coll. 1, v. 23. hodiéq; offert, dum ecclesiam suam
in tali illustri loco semper collocat; ut fama de vero
Dei cultu ad omnes omnino gentes dimanare queat, ut
possint querere & invenire Deum? Act. 17, v. 27 & 30.

XXX. Et profectò, non simulatè, non hypocriticè;
sed usq; adeo seriò Deus omnes omnino homines ad
nuptias filij sui, ad cœnam illam magnam, hoc est, ad
regnum gratiæ vocat: ut lacrymis etiam profusissimis
prosequatur impoenitentiam pereuntium, & nolentium
comparere: sanctéq; attestetur, se illos ipsos pereuentes,
haud secus atq; gallina pullos, colligere voluisse; sed no-
luisse ipsos, Luc. 19, 41, 42. Matt. 23, 37.

XXXI. Quam ipsam seriam & ardentem vocatio-
nem totius generis humani, usq; adeo seriò Deus in a-
ctum perduxit, ut non modò *originalis Ecclesiæ*, quæ an-
gustis Ecclesiæ Adamiticæ terminis continebatur; *non*
etiam

*etiam post diluvium, duntaxat domum sive ecclesiam Noachi, quæ totum genus humanum tunc constituebat; & utrāq; ista, vice, impios æquè ac pios, Cainum æquè atq; Abelem, Chamum æquè ac Semum, vocaret: sed & postremis maximè temporibus, post ascensionem servatoris, totum mundum per prædicationem Evangelii vocari curaret: ita ut D. Pauli temporibus, jam modò annunciatum fuerit *Evangelium omni creatura* (prædicationis capaci) quæ sub cælo erat, hoc est, omnibus hominibus in terrâ viventibus, Coll. 1. 23.*

XXXII. Ut autem rectius percipiatur, quomodo vocatio omnium hominum ad salutem, respectu intentionis Dei, sit universalis hîc distinguendum est inter vocationem ipsam, & vocationis modum atq; ordinem. Vocatio quidem ipsa, ex se & suâ naturâ est universalis, non saltem 1. Ratione intentionis Dei, quivult ut omnes, nullo excluso, veniant & verbum audiant. Hanc enim suam gratiam omnibus in universum indifferenter offert, atq; omnes in universum homines ad salutem seriò vocat, Matt. 11. 28. 2. Ratione mandati; quia præcipit Evangelium in toto orbe annunciarí, Mar. 16. 15, Luc. 24. 47. Act. 17. 30. 3. Ratione promissionis. Nam omnibus suum favorem & misericordiam pollicetur, Esa. 45. 22. c. 55. 1. 4. Ratione ipsius præconij. Nam & præconium verbi ad omnes homines pertingit.

XXXIII. Nec tamen negamus, vocationem in Eventu sœpissime fieri particularem, non ex odio Dei, sed culpâ hominum, atq; sic ex accidenti; cum vel 1. culpâ majorum amissum verbum non semper actu prædicatur ubiq; ; quod tamen ubiq; prædicari Deus voluit. vel 2. quatenus ijs etiam in locis, ubi annunciantur verbum Dei, quidam epicuræo contemptu id asper-

aspernantur, & furiosè à se repellunt, adeòq; regno Dei
se indignos faciunt, Act. 13. v. 46.

XXXIV. Porrò, Modum & ordinem vocationis
quod concernit, est is vel *specialis*, *illustris*, *manifestus*, &
directus; eumq; vicissim in *ordinarium* & *extraordinarium*
distinguimus. *Extraordinarius* est, cum quis immedietè,
vel per ipsam Dei vocem, vel per insigne quoddam
miraculum ad lucem Evangelij convertitur; qualis Act.
9. 5. *Ordinarius*, cum homines per externum & visibi-
le verbi ministerium vocantur.

XXXV. Vel *generalis*, *obscurus*, *implicitus* & *indirectus*;
ad quem spectant quatuor universales pœnitentiæ præ-
cones, quibus Ethnici ad inquisitionem veritatis invi-
tatur. Quales sunt 1. *Notitia Dei naturalis*, in visibili-
bus mundi operibus proposita, Röm. 1, v. 19, 20, 21.
2. *Propria conscientia*, quæ intus di&t;itat hominibus, esse
numen & vim divinam, quæ omnia contueatur, & pœ-
nam repeatat improbitatis, Rom. 2. 15. 3. *Celebritas ec-
clesie*, quam Deus in celebri loco' collocavit, ut exinde
fama de Deo omnibus innotescere posset. 4. *Exem-
pla* eorum, qui ex gentilitate ad veram ecclesiam con-
versi sunt, Act. 2. 5. Quæ exempla nihil aliud sunt, quam
veri concionatores, quibus ad ecclesiam veram vocan-
tur gentiles, extra ecclesiæ pomœria degentes.

XXXVI. Deinde consideranda est *vocatio bifariam*
1. Per se, & respectu Dei vocantis. 2. Per accidens, & re-
spectu hominum vocatorum; quorum aliqui vocationem
Dei grato animo amplectuntur, aliqui verò eandem
malitioso animo alpernantur. Priori modo, vocatio ho-
minum per vivum & efficax Dei verbum, semper est
seria: sed posteriori, respectu infidelium, vocatio ista effica-
ciâ illâ, quam Deus vult operari eorum conversionem,
haud

haud raro privatur, & sic per accidens inefficax reddi-
tur; quod tamen efficaciam ipsius verbi, in se & ex par-
te Dei considerati, nihil derogat.

XXXVII. Omnes igitur in universum homi-
nes, nullo discrimine habito, serio, & ex parte Dei
citram omnem hypocrisim & simulationem, ad salutem
æternam vocantur, Matt. 11, v. 28. Marc. 16. 15. Act.
17. 30. 2. Petr. 3. 9. Promissiones spectant ad omnes, 1.
Tim. 1. 15. c. 2. v. 6, 1. Joh. 2. 2. Matth. 11, 28. Luc. 24.
47. Ergo & vocatio. Immò, qui damnantur propter
contemptum vocationis, ad eos spectat vocatio, Luc.
14, v. 24.

XXXVIII. Et hactenus quidem, quibus modis Deus
antecedentem illam suam voluntatem factis ipsis testa-
tam fecerit, ex Scripturis luculenter satis demonstra-
vimus. Unde duo inferimus, 1. In voluntate istâ an-
tecedente omnia sunt universalia, neq; in eâ conce-
dendum est ullum reprobationis sive particularitatis de-
cretum; ita ut ad omnes æqualiter se ea extendat, 2. Hæc
ipsa voluntas antecedens, quantumvis universalis, non
tamen est *Absoluta*, sed *Determinata*.

XXXIX. Neq; enim Deus absolutè vult omnes ho-
mines salvos, sive convertantur ad Christum, sive
non; sive credant in Christum, sive non: sed determi-
nate, ut nimirum omnes salvi fiant; sed per fidem in
Christum. Exempli gratiâ: Deus secundum anteceden-
tem hanc voluntatem suam dicit: *Vivo ego, nolo morteni*
impij, Ezech. 33. 11. item: *Volo omnes salvos fieri*, 1. Tim.
2. 4. item: *Non volo, ut nullus pereat*, 2. Pet. 3. 9. Quæri-
tur jam, utrum Deus sic simpliciter & absolutè nolit
mortem impij? & utrum simpliciter ac absolutè velit
omnes

omnes salvos , sive convertantur, sive non? sive credant, sive non?

XL. Ad quæsitus hoc respondetur negatè, & quidem ex evidentiâ illorum ipsorum locorum Scripturaræ, quæ ostendunt, Deum quidem nolle mortem impy; Sed determinatè: nempe ut convertatur, & sic conversus vivat. Item, Deum velle quidem omnes salvos fieri; sed ordinatè: nempe, ut ad agnitionem veritatis perveniant, & sic salventur. Item, Deum nolle quidem, ut nullus pereat; sed determinatè: nempe, ut omnes agant pénitentiam, & sic conversi non pereant. Summatim loquendo: Eadem antecedente voluntate, quā vult Deus omnes omnino homines salvos: eadem, inquam, vult etiam omnes audire verbum salutis; per verbum hoc, virtute Spiritus sancti credere in filium; & sic, mediante hâc fide, omnes salvari, Joh. 3. v. 16. & 6. v. 40.

XLI. Graviter proinde & periculosè admodum erant Calviniani, qui electionis decretum querunt in absolutâ aliquâ voluntate Dei; & inde absolutum aliquid omnesq; causas antegrediens decretum, fabricant, quo Deus ab æterno paucissimos, sine intuitu, vel meriti Christi, vel fidei apprehendentis illud, ad vitam æternam elegerit; quos etiam salvare absolutè & simpli citer sit necessarium: reliquam verò universam, eamq; multò maximam mundi partem, itidem absolutè, sine respectu infidelitatis, æterno exitio devoverit. Calvinus lib. 3. Institut. c. 23. §. 3. & 8. Beza in colloq. Mom pelgart. p. 523. Boquinus in Disput. Heidelbergensi.

XLII. Sed nulla profectò, vel syllaba, vel litera, tali quid innuens, in æternum è sacris monstrabitor. Et stant firma atq; inconcessa ea Scripturarum testimo-

nia, quæ bene multa superiùs producta, ardens illud
Dei desiderium æternæ omnium hominum salutis, e-
videntissimè astruunt & confirmant; ita ut ne M O-
R I E N T I S quidem mortem & interitum se velle,
Deus ipse religiosâ assveratione attestetur: tantum
abest, ut quempiam absolutâ aliquâ voluntate mori
& damnationi devoverit. Froinde horrendum hoc
dogma, cum suis authoribus & propugnatoribus, ad
orcum meritò relegamus".

XLIII. Sed sunt & alij, qui circa antecedentem
voluntatem itidem periculose hallucinantur: illi nimis
rum, qui æternum electionis decretum in solâ hâc
antecedente voluntate collocant; ac proinde indeter-
minatam, & ab omni consideratione meriti Christi
per fidem apprehendendi planè segregatam electio-
nem, & quidem universalem omnium omnino ho-
minum, comminiscuntur. Ita enim statuit Huberus,
quod Deus ab æterno omnes in Christo elegerit ad
vitam, & quidem electione propriissimè sic dictâ, sive
omni respectu fidei, sive in Christum credant, sive
non.

XLIV. Cui dogmati universa Sacra Scriptura, &
hujus sequens vestigia Liber Christianæ Concordiæ è
diametro adversatur, ostendens electionem, non nudè
in antecedente Dei voluntate, sed consequente etiam
collocandam esse. Ita enim sonant verba Libri Concor-
diæ: *in Christo electio æterni Dei patris est quaren-
da. Is in eterno suo concilio decrevit, quod preter eos, qui
filium ejus Iesum Christum agnoscunt, & in eum verè cre-
dunt, neminem salvum facere velit. Deinde, Æterna elec-
tio seu prædestinatio ad salutem, non simul ad bonos & ad
malos pertinet, sed tantum ad filios Dei, qui ad æternam vitam*

conse-

consequendam electi & ordinati sunt, priusquam mundi funda-
menta jacerentur. Unde ibidem multoties appellatur præ-
destinatio filiorum Dei.

XLV. Hæc assertio firmatur, & numero plurimis.
& pondere gravissimis fundamentis, quorum pauca
tantum in medium proferemus. 1. Quos prædestinavit
Deus, eos etiam vocavit: Quos vocavit, eos etiam justifica-
vit: Quos justificavit, hos & glorificavit, Rom. 8. 29. At
non justificantur a Deo increduli, Gal. 2. 16. Phil. 3. 9,
nec glorificantur etiam omnes, sed soli credentes, Joh.
3. 15, 16. Ergo & soli credentes prædestinantur. Notan-
dum autem hic, per vocationem intelligi eam, quæ non
modò ex intentione Dei, sed & ex parte hominum,
cum salutari eventu est conjuncta: Nam sic specialiter
vocatos justificat, quos justificatos etiam glorificat.

XLVI. 2. Quâ ratione Deus in tempore homines salvos
facit; Eâdem ratione illos ab æterno etiam ad salutem elegit:
Atqui in tempore, Deus tantum eos, qui per fidem Chri-
sto sunt insiti, salvos facit. Ergo ab æterno elegit, non
nisi quos per fidem in Christo futuros præscivit. Con-
nexum Majoris liquet: Si enim Deus aliter ab æterno
elegit homines, quam eos in tempore salvat, utiq; con-
tradictoriæ in Deo erunt voluntates, de uno eodemq;
salutis actu; quarum unâ ab æterno, vi decreti electio-
nis, voluerit omnes omnino homines salvari, sine intui-
tu fidei; alterâ verò, velit in tempore tantum salvare eos,
qui crediderint in Christum. Id ipsum etiam aperte collî-
gitur ex 2. Thess. 2. v. 13. Elegit vos Deus ab initio ad sa-
lutem per sanctificationem Spiritus & fidem veritatis; & e-
lectos definit Apostolus eos, qui μελλοντες πιστευειν, cre-
dituri sunt in Christum ad vitam æternam, i. Tim. 1. 16.

XLVII. 3. Ex prædestinationis executione sic argumen-

tamur. *Omnes electi salvantur. At qui non credunt non salvantur*, Marc. 16. 16. Ergo qui non credunt in Christum non sunt electi. Major munitur hisce Scripturarē testimonijs, Matt. 24. v. 24. Joh. 6. v. 39. c. 10. 27, 28. Rom. 8. v. 30, 35, 39. Accedit testis indubius Daniel, c. 12. 1, testificans salvatum iri omnem, qui scriptus sit in libro, scilicet vitæ. Nulli autem finaliter impoenitentes salvabuntur. Ergo & illi non scripti sunt in libro vitæ. Confer Luc. 10. v. 20. Hebr. 12. v. 23. Apoc. 17. v. 8. c. 20. 15. Est autem Liber vite nihil aliud, quam catalogus salvandorum, quos Deus ex gratia, propter meritum Christi perseverante fide apprehensum, & ab æterno prævisum, ante jacta mundi fundamenta, ad vitam æternam elegit, in laudem gloriose gratiæ suæ. Hinc sequitur, quod inscriptio in librum vitæ, nihil, quoad rem, sit aliud, quam electio.

XLVIII. 4. Ex Matth. 20. 16. & c. 22. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hoc brevi aphorismo, quasi fulmine quodam, ad orcum usq; relegatur indiscreta illa universalitas Huberiana. Si enim pauci tantum electi, utiq; omnes non erunt electi. Alias enim vocatio & electio æquè latè paterent, ita ut quot sunt vocati, tot essent electi. Salvator autem evidens facit discriminem, quoad numerum, inter vocatos & electos; dum multos quidem vocatos, paucos verò dicit esse electos. Hinc etiam Apostolus Paulus Act. 13. 48. inquit: *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam. At multi non crediderunt.* Ergo multi non fuerunt ad vitam ordinati, hoc est, electi.

XLIX. Et quid multis opus? cum non occurrat in universa Scripturâ Sacrâ vel unus tantum locus, qui omnes omnino homines ad salutem à Deo electos esse, electio ne propriè sic dictâ, perhibeat.

L. Hactenus satis evidenter est confirmatum, consi-
stere

stere haud posse eorum opinionem, qui aeternum electio-
nis decretum in nudâ antecedente Dei voluntate collo-
cant: Et quia hæc universalis est, & æquè se habet erga
omnes omnino homines, ideo inseitè inde universalem,
indeterminatam & promiscuam omnium hominum e-
lectionem colligunt.

L.I. Nostra ergo hæc est sententia: et si Deus, antec-
dente voluntate, serio vult & exoptat, ut omnes in filium
credant, & sic omnes per fidem salventur: et si etiam hæc
ipsa voluntate, voluit omnes omnino homines per filium
redimi; omnes omnino homines per verbum Evangelij
ad regnum gratiæ vocari: Quia tamen maximam
mundi partem ab aeterno præscivit, medijs salutis locum
minimè relicturam, ac proinde in filium non credituram;
utiq; Deus de his etiam aliud fecit decretum, aliud itidem
de illis, quos in Christum perseveranter credituros præ-
vidit.

L.II. Et hinc jam oritur alter ille voluntatis divina respectus, quem Damascenus (uti suprà ostensum) nominat
DEI VOLUNTATEM CONSEQUENTEM; i.e.
deo sic dictam, quia et si cum voluntate antecedente ejusdem est aeternitatis: tamen non in solâ Dei mente
vertitur, sed ad homines etiam aliquem respectum habet,
& ratione ordinis, in signo rationis antecedente est po-
sterior..

L.III. Considerat enim consequens hæc voluntas, quinam ipso actu in Christum sint credituri, qui non: qui-
nam in fide hæc perseveraturi, qui non: unde mox duo
emergunt voluntatis hujus consequentis decreta ævri-
ð 1707 n.º 20: unum Electionis, alterum Reprobationis.

L.IV. Electionis decretum tale est: Vivo ego Deus,
volo & decerno, ut omnis qui credit in Christum, inq; fide hæc
ad fi-

ad finem usq; perseverat, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Proditum est hoc decretum ab ipso servatore, Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* & Matth. 10. v. 22. *Qui perseveraverit ad finem usq;, salvabitur.* Joh. 6. v. 40. *Hæc est voluntas ejus qui misit me patris, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam.* Et ab Apostolo 1. Cor. 1. v. 21. *εὐδόκησε ὁ Θεὸς, Beneplacuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

LV. Reprobationis aeternum decretum tale est: *vivo ego Deus, volo & decerno, ut qui in Christum non credit, sed in infidelitate ad finem usq; perseverat, condamnetur: immò jam, hoc est, ab aeterno sit damnationi additus.* Proditum est hoc etiam decretum à Servatore, Joh. 3. 18. *Qui non credit, jam judicatus est.* & Marc. 16. v. 16. *Qui non credit, condemnabitur.* Immò à Deo ipso, Deut. 18. v. 18, 19. *Prophetam suscitabo eis, (Christum nimis rum, Act. 3. v. 22.) & ponam verba mea in ore ejus, loquetur q; ad eos omnia, quæ præcepero illi: Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, non audierit, ego ultor existam.*

LVI. Hinc ergo emergit particularis electio, quod plurimi, quos tamen Deus voluntate antecedente serio voluit credere in Christum, & mediante hæc fide salvari; tenebras tamen magis, quam lucem diligunt Joh. 3. v. 19. *filium Dei audire recusant, noluntq; agnoscere tempus visitationis sue, atq; ea, quæ ad pacem suam faciunt, Luc. 19. v. 42 & 44.* Et sic, causa hujus ipsius particularitatis non hæret in Deo, sed in ipsis hominibus incredulis: secundum illud Ose. 13. 9. *perditio tua ex te Israel; salus ex me.* Quod si crederent omnes, atq; in fide persisterent, nihil profectò ex parte Dei obstaret, quin salvarentur, atq; in electorum numer-

numero censerentur. Nunc ordinationi divinæ (quæ est, ut quicunq; in Christum mundi redemptorem crediderit, & meritum ipsius in Evangelio oblatum firmâ fide amplexus fuerit, non pereat, sed habeat vitam æternam) resistentes, ipsi in causâ & culpâ sunt, quod electionis decreto non sint inclusi.

LVII. Illustri admodum exemplo Christus ipse negotiūm hoc declarat per parabolas de nuptijs regijs, & cœnâ magnâ, Matth. 22. & Lue. 14. *Rex enim ille, qui est pater caelestis, cœnam magnam instruit, & nuptias parat filio: vult, invitat, mandat (voluntate antecedente, quæ est misericordia) ut omnes veniant: clamat; Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia mea occisa, & omnia parata; venite ad nuptias.*

LVIII. Quam misericordem voluntatem, cum maxima pars invitatorum rideat, contemnat, proijciat: Ecce (voluntate consequente) vult jam rex iste, illos tantum gustare cœnam illam, qui invitationi loco relicto, comparuerunt. De reliquis vero (eadem voluntate consequente) hanc profert sententiam: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam: Immō justo indignationis fervore accensus, emissis exercitibus suis, perdidit illos, & civitatem illorum igni exussit.*

LIX. Hinc perspicuum evadit, Regem illum, quantumvis etiam voluntate antecedente omnes ad nuptias & cœnam suam invitavit, & voluerit serio omnes venire: nunquam tamen voluisse, omnes gustare cœnam illam suam, sive invitationi locum relinquant, sive non: sive veniant, sive non.

LX. Et sic luculenter admodum patet, voluntatem hanc consequentem, voluntati Antecedenti non contradictriorē esse oppositam; sed tantum ὑπαλήψεως subordinatam:

tam: id quod ex mutuis respectibus, qui utriq; voluntati ad se mutuo intercedunt, cognoscere licet. I. *Voluntas enim Antecedens* definit, quo pacto, sive quibus medijs Deus omnes salvatos cupiat: vel, quod idem est, quid omnes facere debeant, ut salventur. *Voluntas autem Consequens* considerat, quid homines actu ipso faciant, vel non faciant. An voluntati universalí Antecedenti obtemperent, vel non?

LXI. II. *Voluntas Antecedens* considerat electionis ordinem & finem, hoc est, salutem & media ad eam perducentia, quatenus duntaxat ex parte Dei sunt ordina-ta, & omnibus hominibus ex æquò offeruntur. *Voluntas autem Consequens*, eundem etiam electionis finem, eademque media cōsiderat; sed quatenus jam ab hominibus actu ipso, vel acceptantur, vel negliguntur: & sic vel actu salutem consequuntur, vel actu æternūm pereunt. Quo respectu voluntas consequens, quæ electionis & reprobationis decreta absolvit, finem suum semper assequitur, si-ve ad salutem, sive ad damnationem: Voluntas verò Antecedens non item.

LXII. III. *Voluntas Antecedens* vult omnes salvari per fidem in Christum. *Voluntas Consequens* vult tantum CREDENTES salvari: neq; ulla militat contradic̄tio, siquidem voluntas etiam Antecedens, non absolutè, sed determinatè, nempe sub conditione fidei, vult omnes salvari. Cui voluntati obtemperantes, jam per decretum & consilium voluntatis consequentis saluti destinantur. Qui verò consilium hoc voluntatis Dei antecedentis spernunt, quemadmodum de Pharisæis legitur, quod Consilium Dei adversus semetipos spreverint, Luc. 7. 30. illi per alterum il-lud decretum voluntatis Consequentis æternæ damnationi adjudicantur: id quod cum voluntate antecedente non pugnat, quippe quæ nunquam voluit absolutè, ut omnes salven-

salventur, sive credant, sive non: sed ut omnes salventur mediante fide in Christum.

LXIII. Hinc Liber Concordiae decreti electionis & adoptionis gradus recte constituit. 1. Redemtionem per Christum. 2. Oblationem meriti Christi per verbum & Sacra menta. 3. Veram conversionem. 4. Adoptionem. 5. Sanctificationem. 6. Perpetuam defensionem. 7. Conservationem ad finem usq;. 8. Glorificationem, sive aeterna vita perfruitionem.

LXIV. SECUNDO. His ita de utraq; voluntate Dei explicatis, concludimus tandem, prædestinationem sive electionem esse voluntatis divinae consequentis decretum æternum, in solo Evangelio revelatum, quo Deus, ex misericordia & gratiâ, certò & infallibiliter constituit, justificare & glorificare tantum eos, quos virtute Spiritus Sancti, per Evangelij prædicationem in Christum credituros, & in verâ fide ad finem usq; perseveraturos præscivit: ut essent sancti & inculpati coram ipso in charitate, ad laudem gloriose gratiae suæ, Rom. 8. v. 29, 30. Eph. 1. v. 4. 5. 6. Nervosè itaq; & brevissimè à Formulâ Concordiae electio definitur; quod sit æternum Dei decretum, de salvandis & glorificandis in Christum perseveranter credituris.

LXV. TERTIO. Huc spectant quæstiones, quarum 1. An eadem sint causa electionis & justificationis? Affirm. Neque enim aliter justificatur homo, quam eligitur, & vice versa: non alio modo fit electio ad vitam, quam quo justificatio hominis peccatoris coram Deo. Quemadmodum ergo non absolutâ quâdam voluntate Dei justificatur homo; ita neq; absolutâ, sed ordinatâ Dei voluntate electus est ad vitam. Errant ergo, qui unam tantum causam electionis, nempe misericordiam Dei, constituunt; & hoc pacto à decreto electionis, non tantum fidem in Christum excludunt, sed sanctissimum quoque Christi meritum

D

inde

inde relevant, idq; temporali executioni electionis sub-
sternunt.

LXVI. Sed verissimum est hoc, in Scholis Theologis
cis decantatissimum, fundamentum; quod salvatio & ele-
ctio habeant esse, ut decretum & decreti executio: ideoq;
easdem prorsus agnoscant causas, & hoc respectu per o-
mnia sint conformia. Unde talis oritur argumentatio:
Qualiter Deus in tempore electionem exequitur, taliter
ab aeterno homines elegit. Atqui Deus in tempore, non
quemvis baptisatum & regeneratum salvat, sed duntaxat
in Christum credentem, in fide perseverantem, nec fina-
liter impenitentem. Ergo.

Qd. 2

LXVII. Quæritur II. Annon Deus, vi misericordiae sue,
(cum sit summe misericors) teneatur semper ad omnes popu-
los actu mittere praecones verbi, & actu singulis offerre media
salutis? Ad quam questionem negatè respondemus. Pri-
mò enim, Deus vi sue misericordiae nemini quicquam des-
bet. Nam debitum & misericordia ita sibi invicem sunt
opposita, ut simul stare nequeant; siquidem unum horum
alterum excludit, teste Apostolo Rom. 11. 6.

LXVIII. Deinde vero, Deus misericordiae sue aby-
sum satis superq; declaravit, quod non semel, non bis, sed
ter universum genus humanum ad regnum gratiae, ipso
actu, vocavit; cum primis vero, alegatis Apostolis in uni-
versum terrarum orbem, atq; tunc universis gentibus, &
omni creaturæ, quæ sub cœlo erat, actu ipso prædicatum
sit Evangelium. Quam gratiam cum multæ gentes fasti-
diose contemserint, & verbum Dei à se repulerint; certè
nullo jure tenetur Deus, hujusmodi præfractis contemto-
ribus, etiam invitatis, obtrudere verbum salutis: siquidem hoc
esset margaritas obijcere porcis: & sanctum dare canib⁹, Mat. 7. v. 6,

LXIX. Addes, quod Deus etiam erga istos obstinatos
verbi

verbi contemtores, misericordiam suam semper suffici-
entissimè declarat in eo, quod nullo absoluto decreto i-
psos ab aditu ecclesiæ prohibuit; sed semper famam de-
vero cultu Dei ad ipsos pervenire sinit, ut forte, abjectâ
inexpugnabili illâ contumaciâ, inquirant de vero illo cul-
tu Dei, & ad externam societatem ecclesiæ se se aggregateant,
externum auditum verbo prædicato præbeant. Quod si
facerent, tum certè Deus memor promissionis suæ, per
auditum illum verbi, virtute Spiritus Sancti illos etiam
converteret, & fide salvificâ donaret.

LXX. Et humanæ tantum rationis inane somnium
est, quod multi existimant: Si Deus hodie ad Turcas &
alios barbaros atq; infideles populos mitteret, ipso actu,
præcones verbi sui, tum multos ex illis conversum & sal-
vatum iri. Nam ideo Deus non mittit ad populos illos
infideles præcones verbi sui, quia, ut omniscius, novit i-
psos non obtemperaturos verbo salutis, sed illud potius
à se contumaciter propulsuros.

LXXI. Quæritur III. Quomodo Electionis particularitas Q[uæ]stio 3
cum Universalitate promissionum Evangelicarum stare possit?
Quæ quæstio, ut rite expediatur, distingvendum est inter
promissiones Evangelicas; quarum aliae simplicissimè sunt
universales, aliae verò determinatè sunt universales. Prioris gene-
ris sunt ea, quæ testantur, Dei dilectionem sive misericor-
diam, Christi meritum, vocationem ad regnum gratiæ,
pertinere ad omnes omnino homines: ita ut Deus omni-
um sit misertus, mittens filium pro redēctione generis
humani; filius ipse pro omnibus omnino hominibus sa-
tisfecerit Deo patri, & hoc meritum suum omnibus in
Evangelio, verâ fide apprehendendū, serio offerat. Quales
extant Rom. ii. v. 32. 1. Tim. 2. 6. 1. Tim. 4. 10. 1. Joh. 2. 2. Mat.
ii. 28. Hæ promissiones nullam quidem determinationem

admittunt; attamen nondum complectuntur consummata
hominis salutem, utpote quæ absq; fide nemini ob-
tingere potest.

LXXII. *Posterioris generis Evangelicae promissiones, integrum salutis nostræ complexum continent, & ostendunt, electionis sive salutis ambitum non nisi credentes complecti. Quales sunt. Joh 3.16. Joh. 5.24 c.6. 40. 1. Tim. 2. 4. 1. Pet. 3. v. 9. Sunt proinde hæ promissiones universales, non simpliciter, sed determinatè, & expressâ fidei mentione limitatae.*

LXXIII. Quibus observatis patet, electionis particularitatem, promissionum à vangelicarum universalitati, neque prioris, neq; posterioris generis respectu, contradictione esse oppositam; sed eidem potius inclusam, & subordinatam. Nam *quoad prioris generis promissiones*; illæ, quamvis sint universales, non tamen absolutam aliquam in Deo voluntatem definient; sed tales, quæ ad ordinem etiam respiciat. Quâ enim misericordiâ Deus vult omnes homines salvos, eâdem vult omnes etiam credere; & sic, non absolute & simpliciter, sed mediante hâc fide vult omnes salvari.

LXXIV. *Deinde, quoad posterioris generis promissiones;* etiam his electionis particularitas non est contraria, sed subalterna, & ijsdem quasi inclusa. Contraria enim foret, si Deus statueretur, quodam ob hoc ipsum non elegisse, quia simpliciter & absolute, citra omnem respectum impietatis & incredulitatis ipsorum, damnare illos decreverit; tum certè ipsius universalis vocatio & promissio foret planè hypocritica, immò nulla. Cæterum, quia Deus omnes vult salvos, sed sub conditione fidei, & rarsus ineredulos vult damnatos; propter incredulitatem: utiq; jam, salvandorum particularitas promissionum universalitatî deter-

determinata inclusa esse deprehenditur. Quæ tamen particularitas, non exculpâ Dei, sed ex vitio hominum dependet.

LXXV. *Quaritur IV. An certus ac definitus sit electorum numerus?* Ad propositam quæstionem liber Concordiaæ his verbis respondet: *Dubium non est, quum Deus exactissimè & certissimè ante tempora mundi præviderit, & hodie etiam norit, quinam ex eorum numero, qui vocati sunt, in Christum credituri, aut non credituri sint: qui ex conversis in fide perseveraturi sint, qui non: & qui in peccata gravia prolapso reversuri, & qui in sceleribus perituri. & haud dubie eorum etiam numerus, qui salvabuntur, & damnatorum, Deo probè notus est.*

LXXVI. Statuit ergo liber Concordiaæ, certum esse electorum numerum, respectu præscientiæ divinæ. Sunt enim Deo omnia præsentia; ac proinde exactissimè ab æterno scivit, qui & quot in Christum essent credituri, & ad finem usq; perseveraturi. Confirmat hoc illud Apostolicum: *Solidum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt sibi, 2. Tim. 2. v. 19. & illud Rom. 8. v. 29. Quos præscivit, eos etiam predestinavit.*

LXXVII. Hæc præscientia, quia certa est, neq; unquam fallitur: hinc certus Deo constat electorum numerus, qui, ratione hujus præscientiæ, neq; augeri, neq; minui potest. Nam si major futurus fuisset salvandorum numerus, hoc ipsum quoq; Deus prævidisset.

LXXVIII. Neq; tamen fatalis est certus iste electorum numerus. Distinguimus enim inter *Absolutum* & *Infallibile:* statuentes, non ex absolutâ & fatali necessitate electos conservari & salvari; quasi simpliciter impossibile sit, ut perseant, quicquid etiam agant: sed duntaxat infallibilitatem hic intellectam volumus. Infallibilitatis autem istius causam constituimus, non fatale decretum Calvinisticum, non perfectionem sumam electorum; sed potius virtutem Dei,

custodientis electos in fide ad salutem, 1. Pet. 1. v. 5. 2. pre-
cationem Christi efficacem, pro perseverantia & salute e-
lectorum, Joh. 17. 3. potestatem Christi, cui nemo potest
oves rapere ex manibus suis, Joh. 10. v. 28. 4. firmitatem de-
creti divini, 2. Tim. 2. 19. & deniq; 5. Infallibilitatem præsci-
entiæ. Dicimus ergo, numerum electorum, non quidem
augeri, aut minui potuisse, respectu præscientiæ divinæ,
qua falli nequit; sed interim augeri potuisse, respectu me-
diorum ad salutem perducentium. Potuissent enim eti-
am illi, qui damnantur, salvati; si nimis media salu-
tis admisissent, & virtute Spiritus Sancti fidem in Chri-
stum conceperent, & in fide illâ perseverassent.

Draft 5
LXXIX. Quæritur V. An electi possint fidem amittere, &
gratiâ Dei excidere? R. electos, etiam propriissimè sic dictos,
posse excidere gratiâ Dei; ita quidem, ut necessum sit eos,
per prædicationem legis, ad poenitentiam revocari, & de-
novo converti. Deinde, dicimus electos, licet eo, quo jam
dictum est, modo totaliter excidant; nunquam tamen ex-
cidere finaliter. Nam si finaliter exciderent, non essent pro
electis habendi; propterea, quod scriptura docet, duos
istos terminos esse convertibiles, nempe electum esse, &
in fide finaliter perseverare.

LXXX. Distinguendum ergo hic est 1. inter amissio-
nen fidei temporalem & finaliem. Electi possunt amittere fi-
dem ad tempus, totaliter, non finaliter. 2. Distinguendum
est inter gratiam electionis & gratiam sanctificationis. Electi
totaliter excidunt gratiâ sanctificationis, quando mor-
taliter peccant. Non verò excidunt gratiâ electionis, quia
manent inscripti in libro vita per futuram fidem, quamvis
nunc ob præsentem incredulitatem Deo displiceant.

LXXXI. Deniq; QUARTO. Oppositum prædestinatio-
nis est Reprobatio, quæ & ipsa non est absoluta, sed ordinata. Neq;
enim

enim Deus, aut infert damnandi causas in reprobum; aut negat & subtrahit illi media, quibus est miseriā emergere possit; aut relinquit eum ideo in peccatis, quia non placuit Deo eum eripere; vel quia nunquam eum serio amavit, vel, quia redemptio per filium Dei facta, aut vocatio ad poenitentiam & salutem, ad eum non pertinet: sed est hypothetica, idq, presupponit, quo reprobri perniciem sibi suisque posteris ultrò accersiverunt; nempe, $\alpha\pi\tau\alpha$ siār seu incredulitatem atq; finalem impenitentiam, unicam reprobationis causam; quam quia Deus, tanquam justus judex, in illis prævidit, meritò eos reprobavit. Præduriūt enim, $\chi\alpha\tau'$ $\alpha\pi\tau\alpha\pi\gamma\tau\tau\alpha$ $\chi\alpha\pi\beta\alpha\pi$, ipsi sibi iram in diem irae & patefactionis justi judicij thesaurizant, Rom. 2. 5, Hebr. 6. 5, 6. Joh. 3. 18. 36. Rom. 11. 20. 2. Pet. 2. 20.

LXXXII. Hinc concludimus, reprobationem non ex antecedente, sed ex consequente Dei voluntate esse petendam; quia præsupponit inobedientiam hominum, in medijs salutis oblatæ apprehendendis: nec causis differre Reprobationem & damnationem, quasi illa ex absoluto Dei beneplacito suspendatur; huic peccatum & inobedientia, tanquam causæ intermediae, substernantur. Propter quod enim in tempore impij reprobantur, propter idem ab aeterno, ut reprobarentur, decretum est.

LXXXIII. In ipsa reprobatione autem, exclusio à gratiā præcedit adjudicationem poenæ. Ibi privativè concurredit Deus, gratiam ob impenitentiam subtrahendo hominibus, qui se sponte ab oblatâ gratiā excluderunt. Hic concurredit positivè & effectivè, poenas, ut justum judicem decet, decernendo iisdem & irrogando.

LXXXIV. Coronidis loco, subjungimus usum hujus doctrinæ consolationis plenissimum. Sic enim concludere licet: Si Deus vitam & salutem sempiternam tibi decrevit, cur non in gratiam ipsius, & propter nomen ejus, crucem

pacienter perferes; cum illam æterno gaudio compensatum iri scias? cum electus sis Dei filius, quid denegabit benignus pater? insta igitur orando: ipse veniens veniet, & qui te elegit ex gratiâ, non deseret in angustiâ. Cum verò preces exauditæ sunt, annon bonitatem tantam celebrari æquum est! Nam cogita Dei misericordiam! ecce ab æterno te elegit, electum in tempore creavit, creatum redemit, redemptum justificavit, justificatum conservavit, conservatum glorificabit. Gaude ob hæc beneficia fidelis, anima: & Deo sacrificium laudis imnola. Dic: *Benedictus sit Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelisibus, in Christo, Eph. 1.3.*

*D*eus Opt. Maximus suo Spiritu Sancto nos, Omnes ac singulos, illuminet & gubernet; ut illas gratiam verâ in Christum fidè ap.prehendamus, & in eâ, usq; ad extreum vitæ halitum, constanter perseveremus: ut ita credentes latitiâ inenarrabili & glorijs tandem exultemus, reportantes finem fidei nostræ, salutem animarum. Illi æterno Deo, unicūm unigenito suo filio, Domino & redemptore nostro Iesu Christo, & Spiritu Sancto, sit laus, honor & gloria, in omnes omnium seculorum eternitates, Amen.

AD VIRUM

De Ecclesia Christi & juventute patris insigniter meritum,
Admodum Reverendum atq; Præcellentissimum,
DN. M. GEORGII C. ALANI M. Sacro-
sancta Theol. Professorem primarium celeberrimum, nec non utriusq; Ecclesiæ,
Urbis Aboënsis & parœciæ Numensis Pastorem vigilantissimum, pro summis
mis in Theologiâ honoribus obtinendis graviter Differentem,

προσφόρησις extemporanea.

Dignè pro meritis, excellentissime **A L A N E**,
Gloria Theologum, culmen honoris adi;
Atque facis recte, dum non oblata recusas
Præmia, quæ pridem debita jure Tibi.
Auspice nunc igitur **C H R I S T O**, reverende Professor
Salve, jamq; novum suscipe fronte decus.
Salve! Te nostrâ sic Finnia voce salutat:
E Finnis primus Tu modò **D O C T O R** eris.

A N D R E Æ T H U R O N I I Log. Prof.
Ord. & h.t. Facult. Philos. Decani.